



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales**

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídkue is fugere,  
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

**Segneri, Paolo**

**Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.**

**VD18 90637038**

Discursus XXVIII. De Judicisjs temerarijs. Quisquis alterum temerè judicat  
eâdem operâ seipsum condemnat, tanquam Judex sine Autoritate,  
Scientia & Justitia: & idcirco Deus illum vehementer odit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

## DISCURSUS XXVIII.

## De Iudiciis Temerariis.

I.  On est officium inter homines periculosus, officio Iudicis. Sicut enim ut Magister perspicue & clare proponat,

quæ docet, non satis est illa utcumque scire, sed necesse est perfecte plenè que ea perspexisse; ita ad officium Iudicis tutò obeundum non vulgaris quædam prudentia, sed magna quædam, ac excellens requiritur. Et tamen, totius ferè Mundi negotium perpetuum est, Judicare; hoc est: pronuntiare de factis Proximi, qualia sint, damnare, deque ijs decretoriam sententiam ferre; adeò ut S. Joannes Climacus diceret: Dæmonem non alio magis negotio inter nos distineri, quàm quo tentet ad peccata committenda, aut commissa dijudicanda:

*Clim in Scala.* Peccare nos Dæmones urgent, aut si non peccaverimus, judicare peccantes. Sic in omni loco tribunalia statuuntur. Suspicio mera, pro justo examine habetur; tenuis quædam rei species pro evidentia; & non tantùm non admittitur appellatio, sed Reus antè damnatur, quàm ad dicendam causam citetur; & antè quàm causam suam occipiat, jam definita est. Verùm enim verò scire vos velim, tot Deo Iudices improbari; ipsùmque solum esse velle, qui hoc officium su-

stineat. Et idèd illius nomine vobis denuntio, ut ne hac in parte festinetis, qui enim temerè Proximum judicat, aliud non agit, quàm ut eadem operâ se ipsum condemnet; *In quo alterum judicas, te ipsum condemnas.*

Rom. 2.1

I.

II. Antequam tamen audacium horumce Judicium iniquitatem consideremus (quod erit primum Discursus mei caput) declarare oportet, quid iudicij temerarij nomine intelligatur. Aliud igitur est Dubium, aliud Suspicio, aliud Judicium. Dubium est Animi. quædam suspensio, quâ nec in unam, nec in alteram partem propendemus. Suspicio est quidam debilis ac tenuis assensus. Judicium denique, firmus quidam assensus est. Imaginamini vobis discursum vestrum bilancis instar se habere in manu rationis. Si Bilanx æquilibrium tenet, en Dubium; si plus in unam quàm alteram partem propenderit, en Suspensionem; si toto pondere & impetu in partem unam fertur, en Judicium. Dubium & Suspicio, si ratione nulla nitantur, inter peccata venialia numerantur, non inter mortalia, plerumque saltem: & de his nunc mihi sermo non est. De illo Judicio absoluto loquor, quod mens nostra de vita alterius nulla ratione nixa format. Dixi, sine ratione, quia

S. Tb. 1. 1. g. 00. ar. 3.



quia cum indicia sunt violenta, & præsumptiones validæ ad iudicium ferendum; Iudicium prudens, & non temerarium appellatur, atque adeo in eo ferendo non peccatur. Si vidua quæpiam omnis generis personas domum suam admittit; si protervè cum viris ad se accedentibus colloquitur, & si non contenta mutuas ab ijs pecunias accipere, promissa etiam ac donaria facilis admittit; admodum difficile creditu est, eam turturis instar solitarij amissum comparem lugere. Ideo Apostolus dixit: *Quorundam peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium, quorundam autem sequuntur.* Quia peccata quædam tam sunt in propatulo, ut probatione non egeant, aut processu judiciali, sicut indigent alia, seipsa satis accusant. Verum est, in hujusmodi casibus Charitati locum dandum; excusanda est intentio (forsan minùs quàm appareat, rea) cum opus excusari prorsus non potest; Carnis fragilitas inculanda est, aut vehementia suggestionis. Si etiam intentio excusationem non admittit, omnibus signis manifesta; in omni eventu meminisse debemus, nos etiam peccatores, & tales quidem, qui, si in hujusmodi circumstantijs fuissetis, graviùs ac sædiùs essemus lapsi; eâ terè ratione, quâ femina non audet virum suum ignaviæ accusare, è prælio domum fugâ se recipientem, bene sibi conscia, sibi tantùm animi non fuisse futurum, ut vel armis se accingeret, Sed ut in viam redeamus, ista hodie reprehendere non constitui. In illum

ego pessimum morem invehor, multorum malè moratorum ac Deum non timentium, qui liberè Proximorum suorum actiones damnant, non nisi levibus conjecturis ad id inducti. Quam injusticiam ut evidentiùs intelligatis, inòsse nos velim, tres ad boni Iudicis officium condiciones requiri: Auctoritatem, Scientiam, & Justitiam. Sine Auctoritate in alienam messem involatur: sine Scientia iudicium erit stultum; sine Justitia iniquum, Hæc verò omnia tria temerariè iudicantibus deficere in præsentiarum demonstrabo.

III. Primò itaque Auctoritas, & propria Judici deest Jurisdictio, Jura non ferunt, ut æqualis in æqualem habeat Imperium; solùm in Inferiorem concedunt: *Par in parem non habet imperium.* Quod si ita est, quâ igitur fratrem vestrum iudicatis? *Tu autem quid iudicas fratrem tuum?* Duo iudiciorum genera hic distinguere possumus cum S. Thoma; unum est, quo iudicatur, qualis sit res; & hoc non nisi Superiorum est. Alterum, quo iudicatur; qualis esse deberet; id quod etiam Inferioribus potest competere. Quare igitur limites vestros transgedimini, & de eo, quod ad vos non pertinet, vultis sententiam ferre, ac definire, quænam sint actiones, mores, & consilia Proximi vestri; cum ad summum iudicare tantùm possetis, quales esse secundùm rectam rationem deberent? *Quis te constituit Iudicem super nos?* Jure haud paulò majori ad vestrùm aliquem dicam, quàm ad Moysen superbus



Prov.  
24. 15

perbus ille Hebraeus. Tabulas profer, quibus hæc judicandi potestas in te confertur; aut saltem doce me, quis illam tibi contulerit, quis impetravit? *Quis te constituit Judicem?* Cerrum est, à Deo, qui tamen solus dare potest, jus hoc non esse profectum. Imò ille aliarum actionum curiosam inquisitionem verat: *Ne queras iniquitatem in domo iusti. Quis ergo te constituit Judicem?* Quis auctoritatem tribuit, quâ in alienas te non vocatus actiones intrudas? Si quis homo exterius domum alterius & conclavè irrumpat, quin antè fores pulset, etiam inter plebejos rusticitatis reus habetur, Nec jura concedunt, ut fenestra in pariete utriusque vicino communi aperiatur citra utriusque assensum. Quo modo igitur Jus hoc maximum vobis arrogatis, quo non solum in alterius nescientis, & iavici domum intrare, sed ipsum illius animum præsumitis subire, & fenestram aperire in illo pariete, quem Deus omnibus clausum esse voluit: *Qui te constituit Judicem?* Judicium cordis humani Deus soli sibi reservavit, & idcirco primum Nomen, quod in sacris Paginis habere voluit, fuit Eloym, quo Judex significatur, perinde ac si ad solum pertineat Creatorem, Creaturas suas judicare. Quod ipsum querebatur S. Job de Amicis suis, qui in viro Sancto condemnando erant tam faciles. Dolebat ei, quod ipsi Arbitri esse vellent operum ejus, arbitrio planè insolenti. *Quare persequimini me sicut Deus?* Quasi diceret: quâ auctoritate Di-

L. Cos  
qui jus.  
ff de ser.  
vis prad.  
Urb.

Job 19.

vinum in me jus invaditis? Quare ut supremi Domini, aut ut legitimi Magistratus mecum agitis? cum non aliud, quàm ejusdem Domini mecum conservistis? Quo animo de vitâ mea sententiam fertis, cum in hac parte nemini nisi Deo, cujus totus sum, me subiectum agnoscam: *Quare me persequimini sicut Deus?* An opem ei subsidiaziam, tanquam impotenti commodatum venitis? *Nunquid pro Deo judicare nitimini?* Et ecce quàm difforme sit Justitiæ reinerariam Judicium, ut quod eorum est, qui jus in alios affectant, quod tamen ipsis nullatenus competit.

IV. Sed non minùs injustus ille est, cui altera judicium conditio deficit, necessaria scilicet ad judicandum scientia; sive illa sit juris, sive facti. Deficit ergo imprimis Juris scientia: Nam si aliud foret nihil, solus amor, quo nos ipsos complectimur, judicium perverrit, atque inclinât nos ad malè de proximo credendam, quasi verò, quod plus ille deprimitur, eò altius extollamur. Non est ventus magis turbidus, ait Aristoteles, quàm qui repercussus in se ipsum velut incurrit; qui non tantùm nubes non dissipat, sed magis condensat. Simili modo Amor, quo nos ipsos persequimur, se habet: omnia quodammodo in se reflectit, & inde facilè contingit, ut mentem obscuret, & rectum judicium intervertat. Cum è diverso, si proximus ex animo diligeretur, omnes ejus actiones nobis rectæ viderentur. *Ex alienis affectibus aestimamur,* sapienter dixit S. Gregorius Na-

Serm. 6.  
Probl.



zianzenus. Unde factum, ut idem David oculis Jonathæ rectus: Saulis verò ut quàm maximè curvus videretur. Jonathas enim pro regulâ sui judicij cor bonum & rectum habebat; Saul verò malignum & pessimè affectum. Non est mirum (ajebat S. Hieronymus scribens ad S. Paulinum Episcopum) non est mirum, quòd tantâ apud te in æstimatione sim, siquidem *metiris nos virtutibus tuis*. Et sic pariter non est mirum, quòd qui ipse perversus est, de altero etiam perverse judicet, nam secundùm id, quod in te habet, judicium fert, nec potest quidquam stabile ac firmum cernere, qui caput instar phrenetici in omnem partem jactat. *Señ & in viâ stultus ambulans, cum ipse in seipso sit, omnes stultos æstimat.* Cain fratricida pessimus in eam venit opinionem, ut timeret neminem sibi venturum obviam, cui volupe non esset Cainum occidere. *Omnis, qui videt me, occidet me.* Totila Gothorum Rex, quia mero ipse ingurgitare se solitus erat, cum S. Cassium vultu tubicundum contueretur, sibi similem, ebriosum credidit. Lutherus, qui Monasterijs in prostrubula commutatis Impudicitia Monstrum evasit, docere occæpit, continentiam homini servatu impossibilem esse. Paucis, judicia nostra ventis similia sunt; qui ijs virtutibus ac qualitatibus imbuuntur, quibus terræ, per quas transeunt, imbutæ sunt. *Ex alienis affectibus æstimamur, & in illo trunco, ex quo peritus artifex, mentis suæ ideam secutus, format nobilem statuam; vilis Carbonarius aliud nihil conside-*

rat, quàm fœtidæ ac fulliginosæ carbonum reliquias.

V. Perquam facilè igitur nobis in judicando Juris scientia deficit, & ubi hæc non deforet, illam Facti non haberemus. Quia plerumque id, quod perperam judicatur, est ipsa intentio, quæ tamen nostros oculos longissimè effugit. Agyrta quidam Astrologum se venditabat peritissimum, & in rudium ac imperitorum coronâ verba sine fine faciebat de dispositione sphaerarum, de stellarum distantijs, de planetarum omnium influxibus singillatim, ut Diogenes, non ferens amplius immanem jactantiam, à capite ad calcem firmo obtutu eum metiretur, ac postmodum iterum fixis in faciem oculis eum contemplatus rogaret: *Quantum temporis est, ex quo illâ tu regione excessisti, & quantum temporis certam tibi sedem fixisti, ut ad eam certa & distincta huc ad nos nova afferre non verearis: Hujusmodi exprobratio longè meliùs in temerarios hos homines caderet, qui ipsam etiam aliorum cogitationes perscrutari volunt, intimas licet & inaccessas. Quanto tempore in aliorum cordibus habitastis? & quando ex iisdem denuò reversi estis, quòd ad eam exactas de ijs notitias proferatis? Proprium cordis humani est, esse inscrutabile. *Pravum levem est cor omnium, & inscrutabile: quis eo. 17. 96* gnoscet illud? Et arcaniora illius ac magis recondita pervidere, illi us dos propria Domini est, qui formavit illud. *Ego Dominus scrutans cor.* Ipsi vos ipsos ex toto non agnosceatis, quomodo jactatis, aliarum arcana vobis ad-*

D d d 3

ded

7ob. 13.  
8.  
Epist. ad  
Paulin.

Ecc. 10.  
3.

Gen. 4.  
14. 5.  
Greg. 1.  
Dial. c. 3.

Laert.  
1. 3. c. 17

Serm. 6.  
Probl.



deò esse perspecta? Quoties, cum confitemini, dicitis; nescire vos an tentationi assenseritis an non? Dicitis; Ignorare vos, quæ vestra tum fuerit intentio; an prudentes scientes feceritis, an passione impulsus? Et tamen cum nesciatis, quid in Mundo antiquo accidat, quem incolitis, divina ratione vestra vultis assequi, quid in terra incognita Mundi novi agatur.

VI. Respondebitis; sequi vos in iudicando ductum indiciorum, quæ apparent. Sed hoc est velle iudicare qualitatem fundi abyssi marini ex paucis illis algis, quas in litus evomit. Deinde si huiusmodi iudicium sufficiens non est, unde vestra intentione pronuntietis, quare ad ferendum de aliorum intentione iudicium vobis sufficit? Ne S. quidem Ecclesia, à Sancto Spiritu plurimum illustrata, tali modo sine deceptione iudicare præsumeret. *Ecclesia non iudicat de internis. Illa, tacite in animo multat; illa mali nihil perpetrat, quia occasionem non habet. Sicut firma, quia non habet, qui impellat; Sed quanto tempore ita persistet? dum non inveniat, qui eam muneribus sollicitet, qui roget; qui illis humanitatis officijs, quæ ambit, eam colat ac provocet.* O tribunal formidabile! si in prægrandi quadam Aula trecenti illi & octodecim Episcopi considerent qui in Concilio Nicæno Arium condemnarunt, non auderent huiusmodi sententiam de præsentis infelicis huius feminæ statu ferre: Vos autem non de præsentis, sed de futuro etiam tam malignè iudicatis? Ecclesia de internis non iudicat, nec credit, suf-

ficientem sibi esse cognitionem facti, aut juris ad talem sententiam mille errandi periculis subjectam. Et tamen hominico privatus liberè iudicat, & credit se satis instructum, qui unum tantum negotium agat, cum tamen saepe capitis illi à trunco distantia ignota sit. Prædictiones hæc nimirum quantum audaces sunt, in illis argumentis fundatæ, quæ omnia, & ipsa sunt debilia, & ex huiusmodi affectibus desuntur, qui omnes occultam sui causam habent. Non sunt hæc actiones Prudentis sed divini & Arioli; Id quòd si mihi reculatis credere, Sancto Spiritui credite, qui cum de homine invidio loquitur, ait. *In similitudine Arioli & Conjectoris æstimat, quod ignorat.* Astrologum spectate, qui cælum contemplatur, & magaa cū autoritate pronuntiat; hæc & illa domus cælestis, domus mortis est; ibi Serpens, illic Serpens stabulatur, Stella illa rubicunda Matris est, semper strages meditantis. Illa Veneris fax est, quæ nunquam non ad oblectationes carnis inclinat; & sic de alijs; cum tamen in cælo horum nihil sit, nec mors, nec serpens, nec scorpius, nec sanguis, nec immunditia; Scissa, quæ finguntur vocabula, ex rerum natura non sint petita. *In similitudinem Arioli, & Conjectoris æstimat, quod ignorat.* Qui temerè iudicat, vult, ut malum quod transit, denudè sit præsens, & id quod præsens est, etiam in futurum se extendat, & ut suas prædictiones magis certas ac securas reddat, hanc non oberrandi regulam sequitur: Iudicare quod perius est, Quasi verò actio quædam tam san-



sancta sit, quam si quis velit, non possit pessimè interpretari. Pharisæum illum, qui Christum convivio excepit, observare, & videbitis, num vera dicam. Magdalenam ille ad Domini pedes videt, & impuram Meretricem judicat; *Peccatrix est, nec de præsentiantium peccatricem eam credit, sed talem, quæ ne quidem cum ad Christum accesserit, emendari valeat ac mundari.* Et tamen Magdalena jam tunc Peccatrix non erat; ut quæ suis mer lacrymis omnes animæ suæ maculas eluerat; nec in futurum peccatrix futura erat, ita ut illa, quæ factus huic Astrologo Venus videbatur immunditiæ plena, lucidissima stella esset, quæ velut Hesperus sequi debebat Justitiæ solem usque ad occasum in monte Calvario, quin & ad ipsam tumulum: quæque ut Phosphorus eundem solem præcurrere debebat, annuntiatura ejusdem Resurrectionem, ita ut & Apostola, si ita loqui fas est, Apostolorum esset futura; qui à Magdalena primum de Resurrectione erant edocendi.

e. Multi.

2. q. 1.

l. 1. Rho.

cor. c. 1.

VII. Denique huic iudicium turbæ non solum Jurisdictio & Scientia deest, sed ordo etiam in iudicijs observati solitus, ex quo ordinis defectu perversam omnino iudicium illorum est. Ante omnia obrutum in Iudicem convertite. Ille qui se ipsum constituit Iudicem, simul etiam accusationis vices obit, quod in omni foro vitium ac illicitum est. Præterea, ut dicebat Aristoteles, Iudex argentatium æmulari debet, qui argentum verum ab adulterino dignoscat, & Ideo subtili admodum investigatione

perquirat in factum, consideret condiciones & adjuncta, juxta illud Jobi de se dicentis: *Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* In nostro autem casu omnia alia fiunt. Iniquitas Pentapolitanorum tam erat scandalosa, ut vicina omnis regio sceleribus inquinaretur, & gravitas peccati tam erat certa ac indubitata, ut omnimomento è caelo fulmina provocaret: Deus tamen antè quàm sceleratissimos hos homines condemnaret, illorum causam denuò explorare, ipsum locum inspicere, & ipsemet enorme delicti corpus, utut famâ communi præcognitum, examinare constituit; *Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Non quòd Domino informationes istæ, ut ait S. Gregorius, sint necessariae, cum sciat omnia; sed ut nos inde doceamur, qui tam precipites ad proximum nostrum damnandum ferimur. *Ut nobis exemplum proponat, ne malum hominè antè presumamus credere, quàm probare.* Femina aliqua vestium ornatu, præ alijs exulta in templum veniat; illico est, qui in corde suo asserat: *vestis hæc pretium venditæ honestatis est.* Juvenula quædam pallidior vultu in publico compareat, & fractis viribus; subito quis intra se mussat: hæc marer est antè, quàm sponsa: macilentra ejus facies merito me facit formidare malum ab ipsa malè admissum. Alia in morbum incidit, & aliquanto tempore inter socias non comparet, ecce, ait non nemo, quàm bellè ac solerter ista uteri sui tumorem, & onus

Job. 19.

16.

Gen. 18.

21.

190

Mor. ca.

14.

occul-



occultè positum dissimulare nōrit ac tegere. Paucis licet venatione in corde humano nemini non sit interdicitum, nemini tamen in eo venari non lubet; & si veræ defunt, eas ipse nasci facit. Ipsa etiam experientia mille deceptionum nostrarum non satis nos corrigit, quin identidem in malè sana iudicia recidamus. Quoties iudicāstis, rem quampiam, domi vestræ sepositam, furto fuisse subiectam, & cum eam denuo reperistis, non furtum sed vestram oblivionem accusāstis? Quoties jurāstis, neglectum ab hoc illòve urbanitatis officium non alio, quàm vos vilipendendi studio; postmodum autem cum inquirendo rem, ut erat, didicistis, casu, non contemnendi animo id contigisse comperistis? In morbis acutis, ajunt Medici, admodum incertus esse prognos; eò quòd humor peccans facillimè sedem mutet. Id ipsum frequenter in iudicijs, quæ de alijs ferimus, contingit: aut enim malum, quod asserimus, nunquam fuit; aut modò non est. Illa quæ impudica videtur, forsàn non nisi aliquantum minùs cauta ac prudens fuit; aut si qualem credidistis, fuit, talis porrò non est, omninò resipuit. In omni ferè eventu non nisi nudum malum intuemur, bonum autem, quod ei conjunctum est, intueri negligimus. Subiecti Zonæ torridæ duas singulis annis hiemes experiuntur, sed & ætates duas. Si non pauci homines vitia quæpiam sua habent, habent tamen etiam virtutes: si scanda-lo quopiam alios offendunt, dant tamen etiam egenis Eleemosynas; ab-

Hippoc.  
l. 2. a  
phor. 19.

stinent à murmurationibus, neminem acriter mordent, mercedem Operariis fideliter exsolvunt, & peccatorum suorum maculas magnam partem charitate operiunt. Horum nullâ habitâ ratione plerique ad sententiam decretoriam statim deveniunt, & quod in Iudicibus Lacedæmonijs reprehensum fuit, non secundùm Leges & Jura, sed secundùm arbitrium suum iudicant ac decernunt.

VIII. Citaretur saltem antè Reus, & purgationes ejus audirentur. Sed nihil minùs, Alexander, cum accusatorem quempiam audiret, aurem unam manu obturabat, cum dicto: hanc occusato reservo integram. Quis nostrum est, qui in iudicando proximo morem istum servet? plerumque non tantùm defensio non adhibetur, sed nec admittitur; & creditur, quòd in dubio illa interpretatio sit optima, quæ omnium maxime est sinistra. Illa demum rara ac solers prudentia creditur, quæ pro infallibili habet, omnem calorem esse febrim, omnem febrim esse putridam, omnem putredinem esse lethalem; & sic quis æger inter desperatos habetur antè, quàm vena tactu exploretur. Dilectè Jura præcipiunt, ut in dubio quilibet credatur bonus, aut saltem minùs reus, quàm secundùm allegata & probata præsumi possit. *Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur.* Nos autem in iudicandis aliorum actionibus alias prorsus leges, ad genium nostrum accommodatas, alia Digesta habemus, alios libros Decretales, alios Codices; & his

Arist.  
l. 2. Po.  
lic. 1. 7.  
6.

Plurimè  
in Alex.

Joan.  
24.

semper  
6. de  
Reg. Jur.



his contra Proximum, non tamen contra nos ipsos utimur; siquidem ad excessus nostros excusandos, benignas sententias admittimus, aliorum autem ambiguos annutus inter certa flagitia numeramus. Insuper, qui ex officio Reos judicat, semper magis ad absolvendum, quàm ad condemnandum esse pronus debet. Nos semper inclinationem in finu fovemus, quàm malimus proximum nostrum inter reos censere, & in solatium morborum nostrorum judicamus, sanum in Mundo hominem vix ullum reperiri. *Hoc habemus in malis solatium, nusquam invenire Innocentiam*, dicebat Ennodius. Imò ita deceptionis hujus avidi sumus, ut ne forè errorem dedoceamur, non patiamur ad examinanda aliorum facta, alia testimonia, magis sincera & certa accedere, quàm sensus nostros, quibus illico omnia credimus, etiam contra manifestissimum Dei mandatum, quod inter peccata recenset; quòd in judicando solà nitamur apparentiâ. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.*

IX. An fortassis illud Dei præceptum minùs æquum fuit? si fidem solis habuissetis sensibus, quòdnam vestrum fuisset de illo Latrone judicium, in Calvario Monte ad dextrum Christi latus pendente? Ille jam acceperat Jus stabile magnum illud Cæli Regnum. Et tamen vestrâ sententiâ babendus fuisset homo nequam, mille mortes promeritus, perinde ac scelerum socius, quem à Christi sinistra suffixerant. Vos quoque cum Eli

*R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. 1.*

Sacerdote Annam illam non Spiritu diviniore, sed vino ebriam pronuntiassetis, Non soli Melitenses, sed vos quoque damnassetis Paulum illum Apostolum, ut hominem consceleratum, qui vix à naufragio ad littus appulsus, ipso mox in litore parum abfuerit, quin à vipera venenatissima morsus vitam suo merito amitteret, quam è fluctibus salvam extulerat. Væ castissimæ Judithæ; si vos Judices nacta fuisset, dum positis viduitatis suæ vestimentis, & lugubri vultu, totam se ad hilaritatem, & quantam potuit venustatem composuit, nec alio, quàm ancillâ suâ unicâ, comite, totâ mulieris mundi pompâ superbiens in Assyriorum castra prodijt, cum interim animo volveret grande illud consilium, mox facto ipso complendum, impium Holoferni caput demerendi. Multitassetis saltem tacitè vobiscum, Juditham nimis immatura viduitate fessam ire ad procos vel inter hostes quærendos. Et tamen vestra hæc sententia magis falsa ac mendax esse non potuisset. Sed hoc est periculum illud, cui expositus est, quisquis sensibus duntaxat in judicando ducibus utitur; ut sit judex audax potiùs, quàm rectus & æquus. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate.*

X. Quod si ita est, quid tandem vos de iniquissimis istis sententijs pronuntiatis, quas sæpenumero in tribunali Phantasiæ ac opinionum nostrarum contra proximum nostrum promulgamus? an Judicium magis perversum, ac justitiæ contrarium repetiri

Ecc

tiri

l. in  
Con-  
demna-  
tione ff.  
de reg.  
Juris

Joan. 7.  
24.

semper  
6. do  
2. lur.



riri potest; magis præcipitatum defectu notitiæ, magis injustæ usurpatum defectu auctoritatis ac Juris requisiti; hujusmodi temeritas vituperio dignissima foret, etiamsi ratiocinando veritatem assequeretur: perpendite proin, quantum sit vituperabilior, dum errat, ac fallitur? Temeritas Ducum etiam post victoriam punitur: an existimare possumus, post acceptam cladem impunè illam laturos?

## II.

XI, Restat igitur: ut videamus, quàm juste se ipsum condemner, qui tam iniquè proximum suum condemnavit; quod erat alterum Discursus mei argumentum. *In quo alterum judicas, te ipsum condemnas.* Verùm, ut eo melius intelligatur judicij illius severitas, quo Deus intrusos hos judices & inhumanos judicabit, geminam injuriam considerare oportet, quam judicando, Deo inferunt & proximo. Er quod proximum attinet, damnum tantò est majus, ait S. Thomas, quantum majus est bonum, quòd judicio hoc nostro ei surripimus. Etenim apud nos ipsos bonum illud nomen, quod possidebat, illamque bonam famam, quæ inter bona externa principatum tenet, quamque non rarò hominès ipsi vitæ præponunt, auferimus. Tanto cum sensu S. David iniquè & præposterè ab hominibus se judicatum accepit, ut præoptaret à Divino etiam tribunali judicari, ut ut aliàs Dei judicia adoranda magis, quàm pervestiganda, tantopere formidaret. Nihil referr, dicebat ad

S. Tho.  
2. 2. q.  
60. a.  
4.

Deum David: *Discerne causam meam de gente non sancta.* Domine tu causam meam judica, & tolle eam ab improba gente ista, totamque ad tuum tribunal transfer: *Dijudica causam, Bell. que mihi intenditur à gente non sancta.* arm. Nam etsi justitia tua non sine rigore est, justa tamen est, nec timere me in tuo tribunali oportet, ut in illo hominum, ne meæ intentiones sinistrè accipiantur, ne causa mea reddatur difficilior; ne gratum sit judici stare contra me præjudicia; ne Passio inordinata prævaleat ad ferendam contra me sententiam injustam. *Discerne causam meam de gente non sancta.* Non diversa ab hoc Davidico sunt multorum justorum desideria, quia & ipsi à judicio hominum ad Divinum tribunal, in quo solo nemini unquam sit injuria, appellare coacti sunt. Casum profus stupendum in hoc genere percipite, quem vobis constitui enarrare.

VII. Senex quidam virtutis consummata, & annorum plusquam sexaginta, nomine Vitalius, relicta solitudine Allexandriam venit, negotijalicujus gratia, quod in quocunque alio temerarium videri debuisset. Sed Lux Spiritus Sancti, quæ cordi ejus manifestè illapsa est, securum eum reddidit, quòd ea in re non erraret. Ingressus est iraque civitatem, ut ardentis suo zelo satisfacere, & desudaret cum alijs in meretricibus ex impudicitia cæno ad bonam frugem reducendis, quæ magno numero inibi reperiebantur. Cæpit cum misellis istis agere, quæ rationibus quæ precibus, quin & Eleemosynis opportuè subministradis,



dis, Nec frustra, à pluribus enim impetravit, ut turpi consuetudini perpetuum nuncium remitterent; alijs vero, ut si pacem stabilem cum Deo nunc quidem nollent, turpi vitæ penitus renunciando, interrumpere saltem illam, & sic velut inducias cum DEO pacifcerentur. Quapropter, argenti aliquid ijs largitus, vicissim ab ijs exigebat, ut noctem illam absque peccato transigerent; ipse vero interim excubabat modò in hujus, modò in alterius ædibus, ibique totam noctem in precibus, pro earum salute fundendis, absumens, interim à peccato eas custodiebat; pactus insuper pacto arctissimo, ut ne cui mortalium hanc suam negotiationem manifestarent, quâ non earum corpora, sed animas, ab ijs cuperet. Studium hoc in oculis Dei tam sanctum, in mortalium oculis omni reprehensione dignum videbatur, quorum pars major non ut suspectam modò, sed insuper ut scandalosam hanc cum venalis pudicitiae faminis tantam familiaritatē vituperabat. Quare virum Sanctum, ad Joannem Eleemosynariū, Episcopum tunc Alexandrinum, detulerunt; qui tamen aut quia virtutem Vitalij satis perspectam habebat, aut quia innocentissimus ipse tales & ceteros judicare consuevit, accusationem neglexit, suamque Vitalio libertatem integram permisit, ut porro cum feminis illis ageret; quarum una impetrare à se aliquando non potuit, quin in colloquio admirabilem Vitalij continentiam prædicaret. Hic vero, quis crederet? à Deo obtinuit, ut illa in pœnam viola-

ti arcani à Diabolo infestaretur; ex quo populus tantò magis in sinistro suo iudicio confirmatus, non modò illud non deposuit, sed auxit etiam; ita ut feminae, uti rebantur, mendaci partim insultarent, partim etiam dicerent: Par esse, ut omnes ejus feminae damno saperent, & nemo deinceps impiorum causam ageret. Præ alijs autem Juvenis quidam, qui aurium tenuis obscænitatis luto immersus, capere non poterat, quòd alius mustelæ instar sine labe cum ejusmodi conditionis mulierculis commoraretur, cum summo mane Vitalium obvium habuisset, tum ipsum ex infami prostibulo egredientem; Hæccine, inquit, cella est, ubi habitas, malè feriæ Monachè? Hinc tui socij, quibuscumq; psalmos canis? & cum dicto insignem ei colaphum impegit. Tunc Vitalius, quam sereno vultu nihil turbatus, tam luce supernâ illustratus: fili, respondit, pro colapho, quem mihi infregisti, intra breve tempus alium meo nomine accipies, sed tantò sonantior, ut tota Alexandria ejus sonum sit perceptura. Eventus Vatem probavit, nam cum juvenis ille paulò post plateam inambularet, Dæmon formam nigerrimi Æthiopsis mentitus comparuit, ejusque lateri appropians alapam ei inflixit tanto robore, ut sonitus ad teli jactum exaudiretur, cum dicto: Hic est ille colaphus, quem tibi Abbas Vitalius mittit in vicem illius, quem à te accepit. Mox Juvenis velut exanimis humi provolutus, ore spumas evomere, toto corpore agitati, furere, sic ut jam sui compos non



effec. Ubi ad se redijt, dolens agnovit admiffi à fe facinoris indignitatem & ad veniam obrinendam, magnâ populi multitudine fupatus, viri Sancti domum petijt. At ecce! cùm fores recludunt; vident eum recens defunctum, orantis habitu, flexis poplitibus, & manu utraque in cælum porrecta, eo ipfo fitu, quo noctes totas pervigil in infamium mulierularum ædibus traducebat. Humi aurem non sine infigni miraculo hæc verba in fculpra legebantur: *Viri Alexandri- ni, nolite ante tempus aliquid judicare, quoad ufque veniat Dominus.* Hoc tam prodigioso testimonio commoti omnes Virum Sanctum magno cum honore tumulo intulerunt: feminae verò obtentâ jam loquendi veniâ miris laudibus Viri integritatem de- prædicârunt, conteltatæ, fe eam hætenus aperire non potuiffe, religione præpeditas & minis, quas Vitalius loquacibus intentâffer. Sanctus denique Juvenem Dæmone liberavit, qui eum & percufferat fimul & invaferat. Juvenis aurem, Mando valere juffo, illi fe ergaftulo inclufit, ad vitam poenitendo finiendam, ex quo Vitalius prodierat ad fuam in Lupanaribus tranfigendam.

XIII. Ecce quàm procul fit Judicium Dei ab injurijs innocenti irrogandis, quas hominum judicia toties inferunt. Liceat mihi etiam hoc addere: fi Deus non vult, ut quis alterum judicet finiftre etiam in cafu, quo indicia haud obfcura fe offerunt, quantò magis illi displicebit, fi quis

alterum finiftre judicet, morus indicijs admodum tenuibus & levibus, uti plerùmque accidit? Videbatur in memorato eventu excufationem mereri, qui actionem profelfioni monafticæ tam adverfantem (qualis erat illa non folum converfatio, fed familiaritas & frequentia cum mulierculis perditiffimæ famæ) fceleris arguebat. Et tamen, quia Vitalij virtus tam erat nota, ut etiam S. Joannes Patriarcha eam in dubium vocare non aunderet, par non erat, ut ab hominibus inferioris conditionis, tantò minùs fapientibus, tam liberè condemnaretur. *Nolite ante tempus judicare.*

XIV. Verum tamen eft, licet ijs, qui alijs regendis præfecti funt, judicare conceffum non fit, nequaquam tamen eos met prohiberi, quo minùs provideant atque profpiciant. Arque ita, quæ eft S. Thomæ doctrina, ubi de aliquo judicando agitur, femper illa, quæ funt dubia, in partem meliorem accipere oportet: cùm verò de remedio providendum eft, five nobis, five alijs adhibendo, ita procedendum videret, quali femper in deteriori parte omnia acciperentur, ut fcilicet fecundùm fanæ prudentiæ regulas femper tutiora felectemur. Sic, exempli gratiâ, Mater quæpiam perfuadere fibi debet, filiam fuam caftam effe, bene moratam, & famæ optimæ, dum argumentum aliud non habet; ex altera verò parte perinde invigilare debet, ac fi alia omnia teneret, omnes greflus obfervando, omnes oculorum obrutus, colloquia omnia, non aliter, ac fi nequiffimam reputaret. Quæ pro-

In vit.  
R.R. 1.

S. Th.  
2. 2. q.  
60. ar.  
4. ad 3.

S.  
not  
Ser



procedendi ratio nihil de iudicio per-  
verso, plurimum verò de causa guber-  
natione habet. Et secundum hanc  
regulam concedo vobis, ut non facile  
quemquam illorum Juvenum vicinæ  
vestræ, qui tam bellè domos vestras  
circumeunt, furum ac prædonum  
numero habeatis, dummodo interim  
Vineam vestram bene firmâ sepe cin-  
gatis, ut etiam qui voluerit, nocere  
illi non possit.

XV. Jam ad propositum redeun-  
do: magnam dico esse illam inju-  
riam, quæ proximo infertur, dum  
sine justa causa sceleratus habetur: sed  
haud paulò major est, quâ Deus irri-  
tatur: ita ut S. Dorotheus ausus sit  
dicere; quòd vix aliud vitium sit, à  
quo Deus ita abhorreat, illudque ita  
abomineatur, ac à temerario iudicio;  
in cuius dicti confirmationem addu-  
cit omnes Eremitæ sibi optimè  
notos: *Nil magis averfatur & abo-  
minatur Deus, quàm proximum judi-  
care, ut præclare afferunt omnes Patres  
nostri.* Et non sine ratione. Etenim  
temeritas ista plurimorum malorum  
origo, & insuper gravissima injuria  
est, quæ omnibus tribus SS. Trinita-  
tis personis infertur. Mille quidem  
malorum origo est, cum sit fons om-  
nium detractionum magis vigentium  
& universalium, atque omnes plateas  
& fora inundantium. Vix hic aut  
ille sinistrum de proximo suo iudici-  
um formavit, illico etiam alteri cui-  
cunque illud manifestare festinat. Ut  
sic de quibusdam illud dici possit,  
quod Plinius de Locustis scripsit, ea-  
rum stridorem non è pectore, sed oc-

cipite provenire. Ita quorundam  
garrulitas cerebro est connexa, ut  
quidquid per hoc adversus proxi-  
mum suum transit, illico sine respectu  
alijs enarrare velint. *Tota die inju-  
ritiam cogitavit lingua tua.* Ipsum  
cogitare, loqui est, aded apud non-  
nullos conjuncta sunt. Et quamvis  
hæc iudicia nonnunquam proferan-  
tur, ceu suspiciones tantum, addita  
protestatione, ijs fidem non adhiberi;  
magnum tamen inde malum genera-  
tur; quia ab audientibus nimis  
quàm facile creduntur, ac facillimè  
etiam divulgantur: & licet forsan  
in omnimodam diffamati denigratio-  
nem ista omnia non cedant; obfusca-  
tur tamen bona ejus fama, non aliter,  
ac quæ fulmine quidem non omnino  
tanguntur, halitu tamen quodam  
afflata colorem suum amittunt. Cum  
enim malignitas infractis jam viribus  
intima pervadere non possit, extima  
saltem inficit, & splendore suo spoliatur.  
Pejus adhuc est, quòd ex hoc ipso  
fonte subinde oriantur rixæ, ranco-  
res, inimicitia, quin ipsa etiam homi-  
cidia non pauca; quæ omnia ex pri-  
ma illa temerariè concepta, & pejùs  
inter alios sparsa suspitione proma-  
nant.

XVI. Dixi insuper, iudicia isthæc  
singularem SS. Trinitati injuriam fa-  
cere. Fundamentum hujus meæ as-  
sertionis audire. *Unus est Legislator  
& Judex, qui potest perdere & liberare,*  
ait S. Jacobus, *tu autem quis es, qui ju-  
dicas proximum?* Deus ita unus est,  
ut Collegam habere non possit: *Unus  
est.* Et tamen, qui in partem officij

Ecc 3 judi-

S. Do-  
rothei  
Serm. 6.

Alberti  
M. l. 3.  
Met.  
r. 3. 6.  
23.

Fac. 4.  
13.



judicialis venire vult, Collegam ei se vult adungere in officio Judicis, & nescio, an non etiam Legislatorem. Est hæc Superbia, Luciferi Superbiæ simillima: *Ascendam super altitudinem nubium, fastuosus ille dixit, similis ero Altissimo.* Simile quid dicere videtur, quicumque hominum corda penetrare (locum magis à nostro conspectu remorum, quam ipsæ nubes sint) & ibi sicut Deus vult ferre sententiam de ijs, quæ sunt. Quæ verò major esse temeritas possit? ait S. Bernardus: Pater Æternus, cum sic Mundi Legislator, Judex etiam esse posset, non vult tamen Mundum judicare, sed munus hoc Filio suo cedit:

Joan. 5.  
22.

Epist.  
41.

*Pater non judicat quemquam: & ego, pergit Sanctus, in munus, quod æternus Pater ultro non exercet, involabo? Et ego mihi assumam, quod nec ipse Pater assumit? An in Creatura putidissima fingi audacia major possit? Et hæc de injuria in primam Personam designata; ad secundam transeamus. Unus est Legislator & Judex. Filius Dei est iste Judex, qui constitutus est Judex Vivorum & Mortuorum, hoc est, Proborum & Improborum: Constitutus est Judex Vivorum & mortuorum. Quantam non injuriam infert Divino Tribunali, qui officium judicandi sibi arrogare, & sedem Filio Dei reservatam occupare non veretur? Non multum ab hinc temporis effluxit, cum nobilis quidam Eques, quod Sellam regiam insedisset, vitâ factum illud suum luit. Quam igitur poenam ac supplicium merebitur Arrogantia, quæ omni ferè horâ similes*

ausus in Dei filium attentat? Præsertim cum, licet hic Judex talis sit, qui in nullo suo judicio falli potest, juxta illud: *Si judico ego, judicium meum verum est:* tam modestè, tamque benignè hac sua potestate utatur, ut ne quidem mulierem de adulterio jam convictam, condemnare velit. Cogitate itaque, an temeritatem & audaciam illorum toleraturus sit, qui summa cum facilitate alios, quandoque ne quidem reos, condemnare præsumunt? & hæc est injuria in secundam Personam commissa. Ad Tertiam veniamus. *Unus est Legislator & Judex, qui potest perdere & liberare.* Spiritus Sanctus, quamvis possit justè & punire & liberare, juxta arbitrium, ma vult tamen, impellente infinitâ bonitate suâ, & ipse erga opera sua exercere miserationem & pietatem infinitam, quàm supplicia & poenas. Quàm igitur ingratum invisumque ipsi erit, si Peccator, cujus esset pro peccatis suis met misericordiam implorare, semper in id incubat, quomodo alium aut puniat, aut sententiam contra ipsum ferat, interpretando sinistrè cogitationes, divinando de consilijs & animi decretis, dicta cavillando, & lacerando Christianam illam charitatem, cujus proprium est; nescire, facillè mala cogitare? *Charitas non cogitat malum;* utpote quæ instar pretiosæ aurifodinae omnem etiam illam aquam reddit pretiosam, quæ per illius venas transit. Hæc arrogantia ita S. Spiritui displicet, ut inter omnia Mundi scelera nullum ita se reprehensurum, & speciali



Speciali poenâ castigatum denuntiâ-  
 rit, ac iniqua hæc judicia: *Arguet*  
 Joam. 16. 8. *mundum de Justitia & de Judiciis.* Et  
 sic illud S. Augustini effatum verifica-  
 tur, dicentis: *Judicandi temeritas*  
 (quantumcunque multas turbas con-  
 tra charitatem & commercium hu-  
 manum exciter) *nulli plus nocet, quam*  
 l. 2. c. 6. *ipsi Judici.* Et hæc est injuria Spiritui  
 Sancto illata, atque adeo toti SS. Tri-  
 nitati, quæ, ut Sanctus quidam Mona-  
 chus audivit, de cælo clamavit: *Tulerunt*  
*homines sibi judicium meum.*  
 XVII. Quapropter verbis Aposto-  
 li superius allatis concludamus: *Tu*  
*quis es, qui judicas alienum servum,*  
 Qui sumus nos, ut tantam in alios au-  
 thoritatem nobis arrogemus? *Quis te*  
*constituit Principem super nos?* forsitan  
 altioris, quam proximus noster sit,  
 conditionis sumus, an servi omnes  
 ejusdem Domini? *Tu quis es* forsitan  
 tam nullius noxæ nobis conscij su-  
 mus, ut tempus nobis abundet, quo  
 proximi potius debitorum numerum  
 ineamus, quam de nostris expungen-  
 dis solliciti sumus? *miser homo semet-*  
*ipsum ignorando vult agnoscere pariter*  
*& judicare cor proximorum,* dixit Deus  
 ipse ad S. Catharinam Senensem, quasi  
 ex illorum genere esset, qui de nocte  
 acutiùs, quam de die vident. *Meliùs*  
*noctem vident quam inter diem.*  
 Bia log. 6. 93.  
 Gell. l. 9. c. 4.  
 Nolt.  
 Attic.

XVIII. *Tu quis es, qui judicas?* Un-  
 de tua Jurisdicção, quæ judicium hoc  
 jure ac meritò exerces, si totam  
 Deus sibi reservavit? *Dei judicium*  
*est.* Ubi tua Scientia, dum vis, ut in-  
 dicia & præsumptiones levissimæ pro  
 innumeris testimonijs scripto confi-  
 gnatis sufficiant? *Incivile est, nisi iota*  
*lege perspecta, unicâ ejus particulâ pro-* *L. Inci-*  
*positâ judicare.* Ubi denique Justitia, *vile est.*  
 cum toti simus in miseratione erga *ff. de le-*  
 nos, toti in rigore versùs alios? ita ut *gibus.*  
 duplici pondere in æstimatione inter-  
 na appendamus, ac duplici ulna me-  
 tiamur omnia, cum gravissima Dei  
 indignatione, clamantis: *Pondus &*  
*pondus; mensura & mensura; urumq;* *Prov.*  
*abominabile est apud Deum.* Non ita, *20.*  
 Dilectissimi, deinceps agamus: *Non* *10.*  
*ergo amplius invicem judicemus.* Do-  
 mino suo servum judicandum relin- *Rom.*  
 quamus: nam *Domino suo stat aut ca-* *14. 4.*  
*dit.* Nos autem discamus nosmet-  
 ipsos judicare, & malignam illam pro-  
 pensionem, quæ ad illa, quæ ad nos  
 non pertinent, dijudicanda impelli-  
 mur, in profectum nostrum & com-  
 modum convertamur. Nam si ulli-  
 bi severitati & rigori locus est, est in  
 nobismetipsis, factisque nostris diju-  
 dicandis: *Si nosmetipsos dijudica-* *I. Cor.*  
*remus, non utique judi-* *11. 31.*  
*caremur.*








## DISCURSUS XXIX.

De Detractione.

I.  Iisdem Aphorismi

proportione quadam locum habent in cura Animorum, quibus Ars Medica in curandis corporibus uritur, cogor hodie DetraCTORIBUS alienæ mali nuntij bajulus esse. Non dicam, quod de illorum salute desperem, dico tamen, malè eos habere, ac haud paulò deterius, quàm ipsi sibi persuadeant. Apud Medentes, Axiomatis instar obtinet, quòd in acuris præsertim morbis certissima signa ex linguæ habitudine colligi possint, ita ut hujus in manifestanda morbi naturâ fides certior sit, quàm arteriæ pulsus. Si in ore febris laborantis linguam conspicamini instar extincti carbonis nigram, & instar ardentis accensam; etiamsi Arteriæ pulsus aliud loqueretur, nolite ei fidem habere; linguæ potiùs credite; & parate ad sepulturam necessaria; Infirmus enim paulò post supus erit. *Lingua nigra & virulenta, calamitosissima.* Id ipsum dicam in animorum vestrorum cura. Si arteriam quorundam exploro, rectè se habet. Multi illorum frequentant Tempa, jejuniò subinde intra hebdomadam se macerant; publicè privatimque preces ad Deum fundunt. Rectè ista se habent. At si linguam maledicentiâ inflammatam,

*Hipp. in  
Coac.  
Præn.*

& quod pejus est, nigram, toxicòque infectam respicio, timeo, ut quod rea est fatear, oculam quandam & non facilè medicabilem malignitatem, quæ mortem, eamque æternam accersat. Quæso igitur, attentis hodie animis auribusque adeste; etenim si non aliud, quàm mali hujus gravitatem intellexeritis, sola hæc remediij non parum efficacis loco esse possit.

II. Oportem quidem omnem ab ore vestro maledicentiam, si tantum promittere mihi unquam possem, quàm longissimè in exilium amandare, præ cæteris tamen illam, quæ occultè famam proximo, si non tollit, minuit certè, & Detractio dicitur; sic ea duobus modis. Primò, quando ad S. Th. nocendum famæ Proximi falsum spargitur: secundò, quando verum quidem dicitur, sed occultum; aut notum quidem, verum exaggeratum & auctum; aut cum in bonam partem accipi posset, detortum in sinistram. In primo peccatur graviùs, cum malitiæ detractionis etiam mendacium accedat: in secundo non ita quidem graviter, magis tamen frequententer. Et idèd quia hoc malum admodum commune est, quod nullo negotio quilibet agnoscere in se ipso potest; hoc potissimùm hodierna Dissertatione petere constitui. Et  
ecco